

Gr. 18. num. 18.

Q. D. B. V.

DISSE^TAT^O IVRIDICA
DE

DELICTIS MARITIMIS,

GERMANICE:

Von Beschaffenheit der Schiff-Fahrt,
denen Verbrechen und Straffen auf der See,
und andern auf selbiger vorkommenden be-
sondern Fällen.

QVAM
PRAESIDE

VIRO NOBILISSIMO CONSULTISSIMO EXCELLENTISSIMO

DOMINO

SAMUELE FRIDERICO
STLLENBURG,

I. V. D. EIVSD. AC HISTOR. PROF. PVBL.
ET ATHENAEI INSPECTORE,

FAVTORE AC PROMOTORE STVDIORVM SVORVM
OMNI, QUA PAR EST, REVERENTIA COLENDO,

IN AUDITORIO ATHENAEI MAXIMO

A. O. R. MDCCXXIV. D. VII, SEPTEMBRIS,
PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTET

IOH. VINCENT. KLEIST,
VARM. VALEDICTVRVS.

IENA,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1736.



DIESELBE STADT DER LIGA

REICH

WILHELMUS


FRANCISUS

CHARLESUS

JOHNUS

EDWARDUS

ROBERTUS



* (3) *



I. N. D. I. N. J. C.

DISSERTATIO JVRIDICA,

D E

DELICTIS MARITIMIS.

I.

NBerrima ista incrementa, per quæ regiones & integræ nationes ad robur & decus excreverunt, nulli causa magis, quam navigationum beneficio tribuenda, quæ ab Exteris in suas sedes aquis innutriti importarunt, & vicissim illis fructus sua terra communicarunt, ut quantum valeant magnitudine, potentia ac autoritate invidentis hostibus etiam cum terrore ostendere queant. Dubitanti probantrei veritatem, qui per mare arte navigationis immensas opes acquisiverunt Adriatici, Florentini, Genuani. Suos Lusitanos Rex Emanuel ad Indos navigans, urbibus & rerum abundantia mirum in modum locupletavit. Cum enim cum ipso Rex Barbarorum in Calicut fœdus peculiare commerciorum pepigisset, quid obstitit, quo minus potuerit pretiosissimis mercibus naves suas replere, & illis onustas in Portugalliam remittere, vid. Osorius de Reb. gest. Emanuel. L. 2. p. 42. 48

A

60.

* (4) *

60. L. 3. p. 713. - 109. Maffeius in Hist. Indic. L. 2. p. 43. seqq.
 p. 52. - - 69. Ad Indos quoque fortunam suam tentarunt
 Belgæ. Nam qui olim à Venetis & Hispanis emptas mer-
 ces receperant, ad eas vero sub Philippo II. omnis via,
 cum illis præclusa esset, audacia & desperatione moti,
 nullum mare sibi clausum esse putantes, immediate in i-
 psam Indiam navigarunt. Fortuna adjuti, tam firmam
 sedem ibi sunt adepti, ut, præ aliis nationibus, aromatum
 monopolia sibi stabilirent, & Societatem mercatoriam in
 Indian Orientalem & Occidentalem erigerent, extra
 quam nemini civium licet adire extraneas oras Americæ.
 Caspar Barlaeus in Reb. gesl. sub Mauricio in Brasilia p. 6. seqq.
 Grot. lib. 6. Histor. Belgic. p. 721. seq. Ita, navalis opera po-
 pulorum singulorumque incrementa perquam promo-
 veri, palam est.

II. Quanta vero ista incrementa & compendia sunt,
 absque multiplici tamen vita periculo ac rerum ipsarum
 discrimine haut obtineri possunt. Mare impetuosa vo-
 rago est, à cuius gurgite amplissimæ opes deglutiuntur,
 Spumantibus suis fluxibus & refluxibus animos navigan-
 tiuum terret, ut singulis momentis interitum vita sibi insta-
 re opinentur. In illorum domum natantem, unicum
 securitatis receptaculum, tam vehementer reboant ma-
 ris procellæ, ut ne quidem, qui in anchoris confident, tu-
 tam sibi stationem polliceri possint. Quid sane quoque
 contra hanc immanem Pelagi potentiam, extra Numinis
 curam, præsidii sibi promittere posset tam invalida ex as-
 seribus constructa navicula, quæ sœpe in brevia jactatur,
 illisa in scopulos, periculosam scissuram patitur, ita con-
 quassata in abyssum maris demittitur, ut ibi suum tumu-
 lum miserrimi navigantes inveniant. Mala hæc sunt,
 quæ

* (5) *

qua comitantur per mare eunt, & spem consequendi
lucri avidioribus animis non raro eripiunt. Unde de au-
tore navigationis bene Seneca in *Med. v. 301.*

*Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili persida rupit,
Terraque suas post terga videas,
Animam lenisibus creditat avio:
Potuit tenui fidere Lignis,
Inter vita mortisque vias,
Nimium gracili limite ducto.*

Vide erudite descripta initia Navigantium à Claudio Bar-
tholomæo Morisoto in *Histor. Orbis Maritimi*, lib. 1. add.
Keckerman in *Problem. nautic. 3.*

III. Non sola hæc sunt, sed, quod in tristibus ple-
rumque fieri solet, illa quoque alia calamitates sequi so-
lent. Pericula, qua à furibus, raptoribus ac caterva ne-
bulonum peregrinantibus struuntur, ea per mare euntes
expectant quoque, qua eo graviora, quo magis cum an-
tedictis §. *preced.* geminantur, & que ac venenata arma in
bellis, qua, quod bellorum pericula, qua satis magna &
multifaria sunt, in militibus geminent, & omnem caven-
di facultatem excludant, seada & à moratoriis Gentibus
ut detestabilia reputantur. De his navigantium malis im-
præsentiarum agere animus nobis est. Per DELIC TA
MARITIMA itaque hic OMNIA ADMISSA in-
telligimus CONTRA LEGES IN EOS, QVI IN
MARI NAVIGANT. Et quamvis quibusdam pla-
ceat discrimen inter delictum & crimen, ut illud sit gene-
raliter, sive malo animo, sive ignoranter commissum,
crimen vero, quod tantum ex animi scientia perpetratum
est,

est, quia tamen ea differentia parum in ipso Jure observata, ut patet ex L. 2. & 3. ff. de Priv. delict. ubi furtum, homicidium delicta vocantur, quæ tamen sine dolo non committuntur, nullum inter hæc discriminæ hic constitueræ necessum erit. Bargal. de Dolo & culpa, Lib. 2. cap. 3. num. 20. seq.

IV. Jurisprudentia nostra varias delictorum species exhibet, quas artis periti in duobus Digestorum libris, nempe XLVII. & XLVIII., qui ob eorum gravitatem pœnarumque atrocitatem *Terribiles* dicuntur, in L. 2. §. 8. C. de V. J. E. & in libro quarto Institut. tractare solent. Ad exemplum militarium delictorum, quæ vel communia sunt, vel in specie militaria, delicta maritima quoque despescere lubet in *Communia*, seu talia, quæ tam mari, quam terra committi possunt; & in delicta *Maritima*, seu proprie talia, quæ non alibi, quam in mari committuntur. Utriusque delicti species cum subjecta pœna secundum juris normam considerabimus, postea quæ de competente judice, ejusque coram eo tractando Processu scitu erunt necessaria, debita opera exequemur quoque. Si non ea, quam indicabimus, pœna ubique locorum talis sit, sed ad corporenda delicta maritima vel gravior per navalia statuta introducta in quodam loco reperiatur, eo quod addens pericula in peticulo jani versanti magis peccet; vel mitior quam juris communis est, quia occasio ad delinquendum in nave major suit, eam prævalere novimus, quod jus speciale semper derogat juri generali.

V. Ex communibus delictis huc jani referimus FVR TVM, quod in nave marina commissum, vel ab ipso navis Exercitore, vel ejus ministris, vel ab aliis vectoribus & hospitibus. Si ipse Exercitor hospitis alicujus bona con-

rectavit, verum delictum ille committit, ex quo utsur
conveniens ad poenam à legibus statutam. Et quidem
si violentum, cum violenta effractione factum, poena la-
quei est, non attenta quantitate rei ablata, nec, an prima
vice commissum, an reiteratum, considerandum, quia
hoc furtum pro maxime doloso & deliberato habetur,
art. 159. *Conf. Crim. Jus Culm. Lib. 5. P. 2. c. 16. art. 3.* Si
non violentum & prima vice commissum, poena est arbi-
traria; si altera vice, sur punitur relegatione vel fustiga-
tione; si sit tertia vice commissum, poena laquei est, si
maxime sur ob ante patratum furtum jam semel punitus
sit, cum ita poena mitiore non amplius emendandus videa-
tur, art. 162. *Conf. Crim. Struv. in Syntagm. Jur. Civ. Exerc.*
48. cb. 21. inf. Hoppe Comment. Inst. ad §. 5. *J. de Oblig. que*
ex del. in U. H. Si non ipse exercitor, sed aliis, cuius mi-
nisterio ille in navi utitur, furtum fecit, ac constat de eo,
tunc contra eum & que ad eam poenam criminalem agitur,
ad quam contra ipsum exercitorem furem. Sinon de eo
constet, à furtum passo ipse Exercitor ex quasi delicto con-
venitur actione in factum Pratoria, ad duplum rei ablata
præstandum, cum ejus culpa sit, quod malos homines in
suum ministerium receperit, à quibus recepti in navem
tuti esse non poterant, §. ult. *J. de Oblig. qua quasi ex del. L.*
un. pr. ff. Furti advers. naut. caup. & stabul. Lauterb. Vol. 4.
Disp. Tubing. Disp. de Naut. caup. & stab. §. 56. seq. Si in
navi hospes contra hospitem furtum commisit, nec de fure
apparet, iterum exercitor tenetur, sed ad rei ablata exsti-
mationem tantum, actione de Recepto ex quasi contra-
etu, quo recipiendo hospites in navem se illis & rebus suis
ad securitatem præstandam obligaverat, ob quam non
præstatam convenitur ad damni illati restitutionem, *L. i. §.*

b.inf. L. 3. §. 1. ff. Naut. camp. & stabul. Joh. Voet. Comm. ad ff. d. t. §. 2.

VI. Furtum maritimum est, si quis tempore naufragii, seu quo naufragium sit, vel navis expugnatae, aliquid abstulit, *L. 1. §. fin. L. 2. 3. pr. L. 4. pr. ff. de Incend. ruin. naufrag.* Expugnari vero navis dicitur, cum spoliatur, aut mergitur, aut dissolvitur, aut funes ejus praeciduntur, vela consinduntur, aut anchorae involantur in mari, *L. 6. ff. d. 1.* Furtum hoc faciens jure civili punitur poena quadrupli, *d. L. 1. pr. L. 3. §. 4. & 5. & praterea poena publica à judice afficitur, Schilter ad ff. Exerc. 49. §. 24.* Hodie poenæ suspendii locum esse, si res occasione expugnatae navis ablatæ tanti sint pretiis, ut ad suspendendum perveniri possit, & iteratio accesserit, existimant Damhouder *Prax. rer. crim. c. 114. n. 2. Stryk in Usu Mod. ff. d. t. §. fin. inf.* cum enim alii fures hac poena afficiantur, non est, ut cum his mitius agatur, maxime cum horum crimen atrocius, quam aliorum, qui auxiliari non furari in tanto periculo debebant.

VII. Improbioris furti species est RAPINA, quæ committitur rem alienam mobilem dolo malo, vi, palam lucrificiendi causa contrectando, *§. 1. J. L. 2. pr. §. 2. & 8. ff. de vibon. rapi.* Ista non à loco, sed violentia qualitatem suam accipit, *d. L. 2. §. 8.* Unde non solum in via, sed quoque in ædibus privati, in quibus violenter res aliena contrectatur, committitur, eaque violentia rapina maxime à furto distinguitur, quod natura sua clam & occulte fit, *Carpz. in Pr. Crim. qu. 22. n. 19. seqq. qu. 90. n. 71. & P. 4. Conſt. 5. def. 4.* Non dubitandum proinde, in nave maritima violentiam rei alienæ contrectationem Rapinam esse, ad quam etiam navem invito domino raptam & usurpa-

surpatam refert Loccen. de Jure maritimi. Lib. 3. c. 8. §. 6.
Jure Civili poena est quadruplici, pr. J. de vibon. rapte. L. 2. C.
cod. Sed hodie ob apertam intentatam vim raptor ultimo suppicio s. gladio punitur, cuius cadaver postea rotæ imponitur in detestationem facinoris. Carpz. d. qu. 90. n.
18. Bruhn. Proc. Inquis. c. 9. n. 83. Mev. ad J. Lub. L. 4. tit.
2. art. 1. n. 8.

VIII. Commune delictum privatum INJURIA est, nec ab illis alienum, qui in una nave congregati. Ea vel verbis fit, dolo malo & ex proæfesi convitium dicendo in alterius contumeliam, L. 1. pr. L. 5. §. 4. ff. de Injur. vel re, ipso facto, verberando, pulsando, vel manus in aliquem quasi verberandum levando, L. 15. §. 1. ff. d. t. qualis injuria Admenatio Ddus dicitur Tabor Tract. Vol. 1. Cqmm. de Admenat. Fichtner Disp. de Admenat. item osculum figendo invitæ Virgini Pagenstecher de jure Virgin. §. 85. Klein. Disp. de Osculo nocivo, c. 2. Si de animo injuriandi constat, qui etiam præsumitur, si verba aut facta, ob quæ agitur, regulariter in alterius contumeliam tendunt, L. 5. C. de Injur. Illa injuria, habita ratione personarum, quibus illata, ipsorumque verborum injuriosorum, §. 7. & 9. J. L. 7. pr. L. 9. §. 1. d. t. Joh. Loccen in Synopsi J. priv. ad LL. Svecic. Diff. 27. n. 4. seqq. punitur depreciatione Berlich P. 5. Concl. 62. recantatione Mev. P. 3. Dec. 20. Carpz. Pr. Crim. qu. 94. n. 18. poena pecuniaria, relegatione & fustigazione L. 43. & 45. ff. de Injur. Wesenb. in Paratitl. d. t. n. 16. Ob hanc realen injuriam, eodem habitu respectu ad qualitatem lassionis & persona lassæ, poena quoque pecuniaria, temporalis vel perpetua relegationis, fustigatio- nis, quandoque & manus amputatio obtinet. Borchoft. ad §. 7. J. d. t. Carpz. qu. 99. n. 7. Mev. ad Jus Lub. P. 4. t. 4. art.

q. art. 1. n. 8. & art. 8. n. 7. Corripiens vero jure Domini aut potestatis servos aliosve in navi delinquentes, impunis manet, quia id factum non ad injuriam pertinet, sed juris executio est, *L. 13. §. 1. & 6. L. 15. §. 36. 38. ff. de Injur. Loccen. de Jure marit. Lib. 3. c. 8. §. 16.*

IX. In casu, ubi per injuriam realem ad vulnera processum, etiam ex *L. AQVILIA* agere licet, non modo ad impensas in curationem factas, & operarum aestimationem, quibus Iesus caruit & imposterum cariturus est, ad eas inutilis factus, *L. 3. ff. Squadrup. paup. sec. dic.* sed & moribus, si Iesus velit, ad cicatricum & dolorum aestimationem, quos dum sensu percepit, quanti sint, illosipsum etiam aestimare posse, non alienum a ratione videtur *art. 20. Const. Crim. Carpz. qu. 99. n. 43.* Petr. Müller. *de Pecunia doloris.* Quibusdam statutis nauticis cautum, ut, si stringat aliquis cultrum vel gladium in alium, et si non laeserit eum, culter per medium ejus manum transfixus inter digitos extrahatur, utita severitate poena a cæde & percussione absterreatur, *art. 9. Jur. naut. Caroli IX. R. Svec.* Aliquando pro qualitate delicti sub carinam trahitur, vel aliter plectitur, *Loccen. d. c. 8. §. 18.*

X. A CONSPIRATIONE & SEDITIONE quandoque pericula incurrisse navis Navarchum, s. Principem ac Capitanum, exempla testantur. Per conspirationem vero intelligimus clamorem, congregationem, exhortationem, conjurationem in navi adversus rectorem ejus. Poena hujus delicti juxta personarum & facinoris qualitatem est laqueus, gladius, membrorum distractio, ac denegantur seditionis ea, quæ per seditionem & tumultum impetraverant, *L. 1. & 2. C. de Seditiosis, art. 127. Const. Crim. & ibi Clasen. Farinac. Prax. Crim. T. 5. qu. 11. Inspect.*

* (II) *

*n. Inspect. 2.3. & 5. Carpz. qu. 100. n. 7. seqq. Sande Decis.
Frisc. Lib. 5. tit. 9. def. 12. Poenam rotæ contra seditionis
autorem Bornmannum ejusque complices dictatam fuil-
se, qui 1682. in Danica nave regia, missa Gvineam & in In-
sulam S. Thomæ contra Gubernatorem navis rebellio-
nem moverat, eumque in mare cum recens nato filio
conjecerat, Capitaneum vero cum aliis occiderat, me-
minit Ziegel. in Theatro Tempor. p. 78.*

XI. Quod in nave, dum in maris itinere constitu-
ta, HOMICIDIVM dolo malo committitur, ut si quis ali-
um in mari suffocaverit, quia grave scelus est, vitam sibi
natura æquali adimere, cuius solus DEVS dator & conser-
vator est, poenam talionis i. e. mortis habet, *L. 3. §. 5. ff.
ad L. Corn. de Sicar. L. 7. §. 1. & 7 ff. ad L. Aquil. §. 5. f. de
Publ. jud. art. 137. Confl. Crim. Jus Culm. L. 5. P. 2. art. 7.
cap. 1. Jul. Clar. Lib. 5. §. Homicidium n. 18. Carpz. Proc.
Crim. qu. 3. n. 28.* Si autem procella oborta plures nauti-
ci ministri, forte tumultuario occursu, unum ex suis e-
verterint, qui præceps in mare decidit, & ibi submersus,
ne quidem autor, qui ex impetu & incaute præcipitavit,
si appareat, puniri potest capitaliter, nedum omnes, à
quibus in tumultu hoc infortunium uni est acceleratum,
sed judicis arbitrio pena delicti committenda, *arg. L. 45.
§. 3. ff. ad L. Aquil. Loccen. d. cap. 8. §. 21.* Quod tem-
pore imminentis naufragii, præcedente fortis judicio,
per præcipitationem alicujus in mare commissum homi-
cidium, ut scapha cum cæteris salvaretur; item quod ur-
gentissima famis necessitate commissum mactatione ali-
cujus, quem sors designaverat, ut commestione carnis
suæ reliquorum vita conservaretur, videtur à necessitate
excusationem potius habere, quam ut ex juris regula pe-

B

na

na in homicidam statuatur. Actum de eo vide in *Disput.*
de Licitia innocent. cede, §. 41. seqq.

XII. Delicta carnis STUPRUM nempe & ADULTERIVM in mari commissa nec condonanda flagitiosis sunt. Solutæ personæ ob stuprum voluntarium à judice puniuntur arbitrarie, pœna careeris vel pecuniaria, Carpz. qu. 69. n. 10. seqq. & insuper stuprator stupratam ducere, aut dotem ei, pro modo facultatum suarum & conditione stuprata, dare debet. Harprecht ad §. 4. J. de *Publ. Judic.* n. 93. Si cum violentia stuprata foemina, eaque statim violentiam accusaverit, pœna stupratoris gladius est, art. 119. *Conf. Crim.* Berlich. P. 5. Concl. 41. n. 69. seqq. Carpz. qu. 76. n. 82. Adulterium à conjugato in solutam commissum, Jure Divino & Civili ut stuprum consideratur, nec majorem illis juribus & hodie, extra Saxoniā, quam stupri pœnam habet, quia talis adulteri neutiquam temerator aliarum nuptiarum dici potest, *Devt. XXII. 22. seqq.* §. 4. J. de *Publ. Judic.* L. 6. §. 1. L. 34. §. 1. ff. ad L. Jul. de *adult.* Giesebert. in *Justin. Harmon.* tit. de *Publ. jud.* n. 167. Franzk. ad J. d. t. §. 4. n. 11. Huber. *Præl. ad Inst.* §. 5. d. t. §. adff. tit. ad L. Jul. de *Adult.* §. 1. §. 2. Carpz. qu. 53. n. 56 seqq. Dūn vero talis est, & sobolem in aliam familiam mittit solitus consuescens cum conjugata, ejus pœna gravior, & quidem capitum est, foemina autem arbitrarie punitur, Carpz. d. l. n. 41. Struv. S. Jur. Civ. Exerc. 49. tb. 30. In Electoratu Saxoniā ambo puniuntur pœna gladii, Carpz. qu. 54. n. 27. seqq. Si adulterium *duplicatum* à conjugato cum conjugata commissum, in multis locis in utroque punitur capite, *Jus Culm. Lib. 5. P. 2. tit. 8. cap. 1.* Heig. P. 2. qu. 29. n. 72. seqq. Jure tamen Lubecensi, Hamburgensi, apud Bavarios, Tirolenses, Argentinenses aliquosque populos pœna

pœna tantum pecuniaria contra delinquentes statuta est, Stryk in *Uſi Mod. ff. tit. ad L. Jul. de Adult.* §. 3. Nec apud Belgas unquam capitalis fuit, tandem, postquam ſepe variavit, in opulentioribus quoque pecuniaria facta, Joh. Voet. *Comm. adff. d. t. §. 10. inf.*

XIII. Sunt etiam delicta, quæ mari à militibus in Classe navalı committuntur, quæ illis tamen communia cum iis, qui in terrestri exercitu reperiuntur: Ex illis notanda militum navalium IGNAVIA, quando refugiunt agere, quod agendum illis est, ex qua non minus suis contra hostem vincendi occasio auferri potest, quam hosti ad victoriā via remonstrari. Hæc ignavia ſemper severe punita fuit. Apud Græcos olim erat pœna ignominia, qua notabatur non modo ipſe, ſed & liberi ejus, qui in confliictu ſe ignavum præbuerat. Ac iſtius ignominia tanta viſ erat, ut nec Magistratum gerere, nec aliud munus publicum capere, ac ne vulgari quidem veste cum aliis his uti liceret. Scheffer *de Militia navalı veterum*, L. 4. c. 4. Add. Godescalcii Stewichii *Comment. ad Veget. de Re milit. Lib. 3. cap. 4. p. 26. seq.* De pœna sub Mauritio Fœderatorum Belgii Gubernatore in ignavos Duces statuta hæc Caspar Barlaeus habet *de Reb. gest. sub Mauritio in Brasiſlia*, p. 187. Tunc publico, inquit, *Senatus judicio in navium aliquot Duces, ob rem negligenter gestam, animadversum.* Et enim Navarchorum, quoquot pralii iſtis navalibus interfuerant, quidam fortiter pugnavere, & lumen virtutis bellica indefatigabiles pugnaliis pretulere: quidam turpi & erubescenda recordia, dejectis mortis metu animis, militie decus maculaverunt, ſpectatores pugne, non actores. Nassovius, ut exemplis severis disciplinam militarem contineret, ſelectis ad banc rem judicibus, animadversioni illorum reos ſubjecit, ne inulta

foret gloria militaris lesa, & velut piaculo propitiaretur Mars, duo ex Judicis sententia capite perfidam ignaviam luerunt. Unus gladius clementia index & meritae mortis, supra verticem ivit: unius parcitum fuit ob prissina merita. Vidi hanc severitatis scenam Antonius de Cunha Andrada, miratus, quamvis parta Victoria, inflexibilem militie rigorem, quem & laudabat, tanquam tenacissimum vinculum securitatis publicae & imperii nostris stabilitum in hostili solo.

XIV. Sicut turbis & arcis Praefectus contravenit officio suo, & graviter peccat, quando urbem vel castrum sine necessitate hosti tradit, ita paris criminis reus agitur Classis Praefectus, qui AQVATICVM SVVM CASTELLVM nondum ad extremam necessitatem adactus hosti TRADIT. Poena ejus ex placito Ordinum foederati Belgii est capitis Aitzma, *Histor. Lib. 45. Edit. in 4to. P. II. p. 710.* delicto plane proportionata, quia non potest non reus criminis maiestatis videri, qui bellicam navem, cuius exactissimam diligentiam habere debebat, hosti dolose tradit, aque ac ille reus ab isto crimine postulatur, qui sibi commissam arcem transfire in potestatem hostium permisit, *L. 3. ff. ad L. Jul. Majest. Burger. in Observ. Jurid. Polit. militar. Cent. 1. Obs. 16. Feltman. Respons. milit. 1. n. 5. 6. Leicker. de Jure marit. c. ult. pr.* Evidem Navarchus, qui ob vim potentiores cessit, excusandus ab isto crimen & poena erit, quia ultra, quam habebat in viribus suis, nil quicquam desiderari ab eo potest, cum potius hic culpa in Superiorum recidat, quod majoribus viribus ad propulsandum hostem eum non instruxerit. Nec tunc ad parentum Superioris mandato Navarchus obligatus est, si id fuerit, utin pulverem pyrium ignem conjiciat, &; si vincere nequeat, se cum suis & nave Vulcano potius perire-

mendum præbeat, quam in hostis potestatem se redigi patiatur. Hoc enim mandatum ad sui cædem, contra DEI & naturæ decretum, non obligat, idque longe fœdius est, quam ad alius hominis cædem. Neque id facinus speciem justi induit, quod Navarchus non directo suam cædem intendat, sed hostis dama, cui non solum eripiuntur interempta naves, & in illis constituti homines, qui capi possunt, sed & ab incensis navibus non raro ista hostium clas- sis affligitur. Puf. de Jure Nat. & Gent. Lib. 8. c. 2. §. 4. Cum enim hosti tali modo nocere non possim, nisi antecedenter me ipsum everterim, ista eversio non consequenter, sed directo in meam necem directa erit, quæ Avocheiria tam scelerata est, ac alia, quæ ex desperatione instituitur. Voet. de remilit. cap. 4. n. 17. Loccen. de Jure marit. Lib. 3. cap. 9.

XV. Qui cum navibus suis ad hostes transeunt, vel transire conantur, &c, antequam effectus secutus, in facinore reprehenduntur, summi quoque sceleris rei aguntur, ac pro talibus habentur, qui in ipsam majestatem deliquerunt, L. 7. L. 3. §. n. ff. de Remilit. L. 19. §. 4. ff. de Capt. & postlim. reversi. Hinc poena eorum quoque ultimum supplicium est, L. 8. §. 2. L. 38. §. 1. ff. de Pœn. L. 3. S. fin. ff. ad L. Corn. de Sicar. Et extat exemplum apud Cedrenum, quod desertores primum fuligine confusci, deinde exssi flagris, denique in eo loco, unde aufugerant, linterfeci sint. Scheffer d. l. p. 282. inf. Nec ab hac poena liberantur, qui solum conatum habuerunt, quia in perduellionis crimine voluntas sceleris eadem severitate punitur, qua ipse effectus, L. 5. C. ad L. Jul. Majest. & misera esset Reip. ac Principum conditio, si non adeo strenue punirentur, qui cum hostibus Reipubl. ruinam machinati, ac trans-

fugiendo vires classis debilitare conati. Voet. d. cap. 4. n.
 20. Agesilai exemplum, quibusdam adolescentulis, ho-
 stium adventu perterritis, & ad Thebanos transfugere co-
 nantibus, condonantis, & simulata laudatione eos recu-
 perantis, apud Nepotem in Agesilao n. 6. nullam regulam
 constituit, ad quam ita semper agendum & judicandum
 esset, cum salus Reipubl. anteserenda clementia, à qua
 non raro ad ejus interitum viam sternere liceret, perfidis.

XVI. Transeamus ad proprie sic dicta delicta ma-
 ritima. Ex his PIRATARVM est, qui vel singuli, vel col-
 lectis navibus privato ausu quoscunque sibi obviis navi-
 gantes præda causa invadunt, &, quicquid ipsis arridet,
 invitatis Dominis auferunt, illisque, quos nunquam ode-
 runt, vitam, quando placet, eripiunt, L. 3. §. 1. ff. Naut.
 cap. & ſtab. L. 18. ff. Commod. L. 19. §. 2. ff. de Capt. & poſta-
 lim. rev. In Jure nostro dicuntur prædones, L. 3. §. 1.
 ff. de Inc. ruin. naufr. Latrones, L. 7. ff. eod. aggresso-
 res in mari, d. L. 3. §. 3. Nov. 134. c. 13. vers. 108. La-
 trunculi, d. L. 3. §. 2. & cum epitheto marini, c. 12. C. 23.
 qu. 8. proprio nomine pirata, L. 18. ff. Commod. Graece vo-
 cantur ξυριαγοι, Gothofr. in L. 10. C. de Fer. lit. n. Germanis
See- oder Meer-Räuber / item See-Hanen. Abili-
 tis diversi sunt, qui navem ad prædam agendam mandato
 Principis belligerantis suis sumptibus instructam tantum
 contra hostium naves habent, qui Excursores maritimi,
Caaper / Commiffahrer dicuntur, & in numero hosti-
 um à parte adversa habentur, de quibus vide Disp. no-
 stram de Eo, quod iust. est circa excursiones maritimis.

XVII. Olim vixtus causa piratica exercebatur, &
 gentibus mari vicinis in usu erat, ac nemini odiosa, sed
 ideo, quia neminem lædebant, sed exigua stipre contenti
 erant,

erant, in eorum honorem cedebat, ut & si alicui obviam facti & interrogati, num prædones essent, id non abnegarent, aut erubescerent fateri, Morisotus in Hisp. Orb. marit. L. 2. c. 6. p. 355. cap. 10. p. 394. Scheffer de Milit. navalii, c. 1. p. 7. & in Addend. p. 313. Aliter sequentibus temporibus piratae astimati, qui latius grassati, & quamlibet navem, tam amicam, quam hostilern, in suam prædam converterunt, qui, teste Floro lib. 3. c. 6. sublati commerciis rumpunt fidus generis humani, & proinde omnibus exosi, eorumque nomen in malo sensu usurpari coepit, ut, qui piratae appellantur, eo ipso pro communi omnium hoste reputentur, Cic. 3. Offic. Quos idcirco omnibus nationibus persequi incumbit, non tam propter metus proprios, quam respectu federis inter homines socialis, adeo ut ad hujusmodi bella indicenda non opus sit denunciatione aliqua solenni, nec expedita supplicatio à Natione lata, ut summittantur auxilia, sed ijsiusmodi formulas omnes supplet Jus naturæ in bello piratico, prout istud dictum Tullii explicat Verulamius de Bello Sacro, p. m. 1308. In historia è famosis piratis occurunt Barbarussa, quem, quod damna littoribus Italia intulerat, Carolus V. Imp. ultus, & ab ipso expulsum Muleassem Tunetanorum Regem restituit, Dragutus, Campanus & alii, de quibus vid. Thuan. Hisp. lib. 12. p. 373. seq. & lib. 18. p. 799. seq. Paul. Jov. Hisp. sui temp. lib. 34. p. 159. seq. lib. 37. p. 210. A. p. 212. H. lib. 40. p. 271. B. Aloysius Armenus de Guleta & Tuneto occupatis. Cellarius in Hisp. Nova, pag. 48. seqq. p. 145. Bottwellus etiam, ille Mariæ Reginæ Scotiæ maritus, rebus ubique male cedentibus, omni auxilio ac spe recuperandi regni destitutus, primum ad Orcades, deinde ad Hethlandicas Insulas profugit, ibique rerum omnium inopia circumventus, piraticam facere coepit. Buchanan. lib. 18. Rer. Scotie. p. 685.

XVIII. Cum vero varia sint & gravia piratarum scelerā, qui maris securitatem turbant, L. 5. C. de Naut. nava-gantes spoliant, rapiunt & occidunt, L. 3. §. 1. L. 6. ff. de Incend. ruin. naufr. varia etiam est & gravis eorum poena. Ex Fratoris Edicto tenentur in quadruplum, L. 1. ff. d. t. quod Imp. constitutionibus confirmatum, L. 5. C. de Naut. Jure Canonico ipso jure excommunicantur, c. 3. X. de Raptor. c. 2. de Treug. & pace, & possunt impune lædi, c. 6. C. 22. qu. 3. Imp. Hadrianus de illis, ut de Latronibus, Præsidem gravem sententiam dicere debere statuit, L. 7. ff. d. t. Latronum autem poena mortis est, qui furca figendi dicuntur, L. 28. §. 10. & 15. ff. de pæn. Hodie multorum locorum utile institutum est, quod piratis ad portum appellentibus non permittatur isthic vendere bona spoliatorum, nec alias emere, sed navis cum bonis arrestetur, rapta in utilitatem læsorum, & quorum interest, iis restituenda, reserventur, permittaturque cuilibet, pirata na-vem, tanquam illius, qui nullius civitatis est, sed hostis totius generis humani, expugnare ac diripere. Loccen. de Jure marit. L. 2. cap. 3. §. 7. Rhet. de Jure Portuum, c. 3. n. 7. Benedict. de Pratis de Stellion. marit. p. 23. Ipse pirata sus-pendio aut poena gladii afficitur, & capute ejus juxta portus in terra, ad aliorum terrorem, palo infigitur. Hartm. Observ. sing. 174. Joh. Voet. de jure milit. c. 4. n. 52. Leicker. d. Tr. c. ult. p. 144. Quæ poena 1458. d. 14. Septembribus hic Gedani contra septuaginta quinque piratas publico loco executioni fuit data, de qua ex Schützii Chronico Ziegel. in Labyr. tempor. n. 430. p. 867. seq. Nec pirata solum, sed & receptatores eorum capitibus poena obligantur, quia pes-simum genus hominum receptatores sunt, sine quibus nemo delinquentium diu latere potest, arg. L. 3. §. 3. ff. de In-
cend. ruin. naufr. Loccen. d. l. §. 8. Voet. c. l.

XIX. In mari FALSI crimen committitur, si quis ad alios decipiendos diversorum aplustria usurpat, naves suas diversis nominibus & titulis in fraudem publicæ necessitatis tuetur, falsis literis & sigillis utitur, quod apud nautas, præsertim belli tempore, frequens est, qui pro re nata modo has, modo alias literas præferunt, quæ vocantur *Lurden-Briefe*. Ipsi hi falsarii & stelliones maritimi Belgis *Lorrendrayers* dici solent, à voce *Loren*, quia specie vendendi, *Loram*, seu liquorem ex uvarum folliculis & acinis post mustum assusa aqua expressum, & hinc oblationis tributique exhortem, vendebant vinum, atque hoc pacto publicum fraudabant, & à voce *drayen*, quæ *vertere* & *volvere* significat, ac mentientium propria, vid. Benedicti de Pratis *Discept. Forens. de Stellionibus maritimis*, quæ Feltmanni Dissertationi de *Accessionibus memorabilibus* adjecta, & procul dubio vir hic celeberrimus dictæ Disceptationis autor est, ac occasione certæ facti speciei eam edit, & sub nomine Benedicti de Pratis latere voluit. Puniuntur Jure Romano ejusmodi falsarii deportatione, vel bonorum publicatione, & poenali actione in factum conveniuntur, L. 25. & 30. ff. ad L. *Corn. de Fals.* Hodie amissione navium & mercium, Leicker d. l. p. 139 seq.

XX. Alia species criminis falli est, quod pescatores committunt, quando nocte, lumine ostendo, fallunt navaientes, quasi in portum aliquem delaturos, sed eo modo naves, & qui in iis sunt, in periculum deducunt, ut sibi execrandam prædā parent, L. 10. ff. de *Incend. ruin. naufr.* Hodie ad securitatem navingantium signa eriguntur, quæ sunt tonnæ albae vel nigrae, stipites coronati, figura crucis aliaque, de quibus vid. Stypman. de *Jure maritim.* P. 3. c. 9. n. 47. seqq. aut si forte ob inconstantem pavis fluxum & re-

C

fluxum

auxili illa apparere nequeunt, naviantibus Pilotz, qui sunt pescatores, vel alia locorum istorum gnara personæ, obviam mittuntur, ut ad securam portus stationem eos adducant, Rhet. de Jure Port. c. 3. n. 14. Si hi aut illa eos fefellerint, aut ex turribus nocturnis ignibus, quos Pharos appellant, naviantes in periculosa loca allegerint circa portum habitantes, par crimen falsi committitur, quod pro gravitate damni dati vindicandum, Gothofr. ad d. l. 10. tit. k. etiam pena capitii, si dolose homines cum bonis in perniciem tracti fuerint, Peckius de Re naut. add. L. 10. inf. & ibi Vinn. lit. c. Jure Culmenhi Lib. 5. P. 2. Tit. 18. cap. 8. dispostum: Wer bößlicher und gefährlicher Weise Grenz- Zeichen verrückt / abhauet oder abthut, der soll darumb am Leibe / nach Gelegenheit der Sachen gestrafft werden. Geschehe aber solches fürsätzlich an solchen Merkzeichen / die zur Nachrichtung der Schiffahrt und Segellation geleget / der soll mit dem Schwert gerichtet werden.

XXI. E numero in mari delinquentium sunt, qui MERCES CONTRABANDAS, sc. quarum commercium ad prosequendum bellum facit, ut sunt tormenta bellica, bombardæ, pulvis pyrius, sulphur, plumbum, frumentum &c. ad hostem devehunt; iisque ad resistendum audaciorem reddunt. L. 1. ff. de Public. & vectigal. c. 6. n. 17. X. de Judeis. Fritsch in Append. ad Thesaur. voce Contrabande. Rhet. d. Diff. cap. 5. n. 6. Non solum vero subditi belligerantis, sed & extranei, & qui extra partes belli sunt, five Neutrales, rei hujus delicti fieri possunt. Quamvis enim commercandi libertas Juris Gentium sit, & omnibus permitta; quia tamen belligeranti quoque ea omnia competunt, quæ ad juris sui tuitionem & recuperatio-

rationem necessaria sunt, per advectionem vero talium mercium ad hostem magnopere sua defensio & juris sui recuperatio impediretur, libertas illa commercandi ad commercia pacis restringenda erit, & belligeranti ius suum relinquendum, quod in mari deprehensas merces contrabandas intercipere, & advehentem ex hoc facto velut hostem suum tractare possit. Nam perinde est, si ve quis arma contra nos adhibeat, sive hostibus nostris eadem subministret, utilis nobis incommodo sint, c. 6. n. 12. 17. X. de *Judeis*. Procopius de *Bello Gotborum*, Lib. 1. c. 2. Selden. de *Mari clauso*, L. 2. cap. 20. Itaque navem cum ejusmodi mercibus vetitis recte capit, & pro commissis tenet, in cuius praedictum illae hosti adiectae sunt. Merces autem licitas, quæ simul in ea nave sunt, servat sibi earum Dominus, ne poenam sentiat, qui non deliquit. Si in nave hostili merces licita deprehendantur, tamdiu hostiles esse presumuntur, donec, quod amicorum & non contrabandæ sint, probatum fuerit, tunc enim demum constat, quod nihil in illis sit, ex quo eas sibi vindicare posset occupans. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. cap. 6. & §. 5. 6. 26. Zouch. de *Judic. int. Gent.* P. 2. S. 8. qu. 5. & 6. Heinecc. de *Navib. ob mercium illicit. pecturam commiss.* c. 2. §. 7. seqq.

XXII. A jure quod Principes sibi in occupatum mare vindicant, dum per illud aliorum naves cum mercibus suis secure transire volunt, non inique illis certum vectigal imponitur, quod Dominio maris solvendum, Stypman. de *jure maritim.* P. 5. c. 1. n. 5. & c. 3. n. 7. seqq. Conring. de *Dominio maris*, tb. 39. Strauch. de *Imper. maris*, c. 7. n. 1. In leges ejus committit, qui NON SOLVITO DEBITO VECTIGALI mare transnavigant, nam, et si

extraneus est, tamen quamdiu in alterius mari haret, pro temporario cive habetur, quem & que ac suum civen Leges obligant. Hinc illi ad poenam contra se statuendam jus dedit, qui poenam ob fraudatum vectigal statuit, quod navis cum mercibus in fiscum redigenda sit, L. 14. ff. de Public. & Vectigal. quod vocare solent: **Das Schiff ist vor gute Priese erklaret.** Hac pena vero de eo accipienda, qui dolose navem & merces non professus est. Si enim quis per errorem vectigal non solvit, in commissum nihil cadit, sed in duplo tantum illud vectigal solvere tenetur, L. 16. §. 10. ff. d. t. Si Publicanus ad factam professionem vectigal non exegerit, & nauta morae impatiens vela ventis dedit, id ipsi Publicano nocet, qui ex suis bonis fisco satisfacere tenetur, d. L. 16. §. 12.

XXIII. Fluit ex occupato mari, & in id asserto sibi dominio, quod navis aliena castri uici navem bellicam Domini maris praternavigans, VELA MAJORA SYÆ NAVIS DEMITTERE, sive supprimere teneatur, muss für der Festung oder dem begegnenden Krieges-Schiffe die Segel streichen / ut tali modo ejus maiestatem revereatur, sub cuius auspicio secure transfretare licuit Pacific. inter Christinam Reginam Svec. & Christianum IV. R. Danie, art. 5. Pac. int. Carolum II. R. Britannie & Ord. fræder. Belg. de anno 1674. §. 4. Omisso hujs officii semper pro crimine habita, & in contemptum tracta fuit, ac exinde sape jurgia & caedes fecutæ, prout exempla docent Svecorum & Danorum. Loccen. Hist. Svec. Lib. 7. p. 358. Anglorum & Svecorum, Puf. lib. 9. Hist. Brand. §. 28. & Rer. Svec. lib. 19. §. ult. Svecorum & Electoris Brandenburgici, Pufend. d. lib. 9. §. 58. aliaque. Debet autem ista demissio veli majoris, des Toppf. Segels / tamdiu fieri, donec

donec navis castrum vel navem regiam præternavigans
excesserit distantiam illam, ad quam ictus tormentorum
pertingere potest. Neglecto hoc per contumaciam, tota
navis cum omib[us] mercibus in fiscum Domini maris re-
digitur. Si per ignorantiam aut negligentiam omissum fue-
rit, pœnam quatuor thalerorum pro quolibet ictu tor-
menti, **Canonen-Schuf** / naua lucre tenetur, Stypman.
c. Tr. P. 5. c. 1. n. 1. Couring. d. l. tb. 38 quamvis pactis &
consuetudine Gentium hæc quoque aliter definiri possint.
Selden. *de Mari clauso*, Lib. 2. c. 26. Marquard. *de Jure
mercatorum*. L. 2. c. 5. n. 41.

XXIV. COLLIDENDO NAVE SVA in alterius
navem, ut alterutra conquassetur, aut damnum capiat,
delictum quoque est, vel culpa vel dolo nautæ in mari
commisum, *L. 13. §. 2. ff. Loc. cond. L. 7. ff. Naut. caup. Ha-
bul.* Postquam vero hoc probatum, & a casu separatum,
qui impetu maris contigit, & quem nemo præstare tene-
tur, *L. 20. §. 5. ff. ad L. Aquil. d. L. 13. §. 1. & 2. Pr. Land. R.
Lib. 4. tit. 9. art. 4.* ad pœnam quoque dolosi, vel reparati-
onem damni à culpolo dati agitur, pro casuum tamen di-
versitate. Si enim quis validiore sua nave illidat in alterius
invalidam, ut homines ibi constituti cum mercibus
perierint; vel si quis propriam suam navem in scopulos
vel aliam occurrentem navem immittat, & voluntarium
nausfragium faciat, lucri sui causa, ne Domino navis ad
rationes de pecunia, ex mercibus jam venditis male con-
sumpta, reddendas teneatur, cum sibi de mediis eva-
di pericula jam ante prospexit, talis criminosus præter
reparationem damni, ad pœnam capit[is] condemnandus,
*L. 3. §. 8. L. 4. pr. ff. de Incend. ruin. naufr. L. 3. §. 4. ff. ad L.
Cornel. de Sicar.* quia latrocini quoddam genus est, navi-

gantium itinera intuta reddere, quod propterea obtran-
quillitatem publicam laſam, severiore poena vindican-
dum, arg. L. 1. §. 2. ff. de bis, qui dejec. vel effud. & quia mor-
tem intulisse censendus est, qui occasionem mortis præ-
buit, L. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil. L. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar.
Stryk de Collisione navium, cap. 2. §. 24. Si culpa navis ali-
cujus in alterius navem immissa, & ei nocuit, ut si navis
navigans magistri culpa imprimatur alterius navi in an-
choris stanti, si inflatis velis, aec satis tempestive demissis,
portum ingrediatur, navibusque aliis aut pescatorum re-
tibus damnum inferat, his casibus probata culpa, culpa
reus plane ad universi damni tam navis, quam mercium
reparationem condemnabitur, Voet. Comment. ad ff. tit.
ad L. Aquil. §. 15. Damnum ex casuali illisfione utrique
vel alterutri navi illatum, ipse quilibet patitur. Nisi sta-
tutis maritimis cautum sit, ut uterque ad æqualiter feren-
dum damnum obligatus esse debeat. Voet. d. l. Stryke.
l.c. 4.

XXV. Jure Romano inventio modus est, acquiren-
di rem, quæ nullius est. Unde lapilli, gemmæ aliae,
quæ in littore maris inveniuntur & apprehenduntur, sta-
tim inventoris sunt. §. 18. f. de R. D. L. 1. §. 1. ff. de Acquir.
vel amitt. possess. Verum hic modus hodie, mutato Reip.
Statu, exigua utilitatis est. Cum enim littora maris sibi
vindicent Principes, eorum usus illis quoque solis debe-
tur, non amplius illis, qui ex populo sunt, ut apud Romanos in Statu populari. Hoppe Comm. ad §. 18. f. de R. D. in
U. H. Quapropter qui contra hunc usum INVENTA
IN LITTORE MARIS SIBI VINDICAT, is delicto
exponitur, & poenareus fit. Quod exemplo SVCCINI
in littora maris Baltici in Borussia ejecti, illustrari potest.

Nam

Nam ibi mediante juramento ministri littorum & rustici
ad littora habitantes obstringuntur: Insonderheit soll
und will ich auf die Wetter und Winde vorher gute
Achtung geben / die Strand-Bauren, so offt sich das
Wetter erzeiget / an dem Strand zum Börnstein-
Fang oder Lesen antreiben, und mit allem Fleiß dar-
an seyn / damit daselbst mit Losen und Schöpfen des
Börnsteins nichts über versäumt oder verwahrloset
werde; Was denn der liebe Gott bescheret / das will
ich mit allen Treuen zusammen halten / und nichts da-
von, weder groß noch klein / vor mich behalten, noch
das geringste davon jemanden abgeben, oder wegzu-
nehmen verstatten / auch verbütteln mit guter Ver-
wahrung des Schlüssels zum Börnstein-Kasten, daß
mein Weib / Kinder oder Gesinde, nichts davon weg-
bringen / sondern denselben, Vermöge der Strand-
Artikel / von den Bauren einsammeln / und dem
Strand-Verwalter zu Palmnick ungesäumt über-
antworten ic. Da. Grube in Corpore Constitut. Prutenic.
P. 3. n. 215. p. 330. In contravenientes vero & succini fu-
res severa poena constituta, qua est in modica quantitate
succini ablata, pecunaria, it majori quantitate, relega-
tio ac fustigatio, imo & poena laquei, licet non una, sed
pluribus vicibus ea ablata. Nam ita in Ordinat. Borussica
von Börnstein Dieben und derselben Bestrafung in
Gemein Art. 7. Käme es denn dahin / daß einer gemei-
nen Standes ein Tonnen-Diertheil gestohlen und
verparthiret hätte / derselbe soll an der Justiz / so der
nächste des Orts / darinnen er seine Wohnung oder
Aufenthalt gehabt / mit dem Strange vom Leben

zum

zum Tode gerichtet, und daran andern dergleichen
Dieben zum Abscheu gelassen werden. Adde art. sequ.
§. apud laudatum Dn. Grube c. 4. p. 332.

XXVI. Habent Principes in suis Portibus Jus Sta-
pula, die Staffel-Gerechtigkeit, vi cuius naves acceden-
tes possunt restringere & attinere, ut merces suas ipsiſis ju-
sto pretio divendant. Rhet. de Jure Port. cap. 4. n. 6. seqq. n.
21. seqq. In illud peccant, qui ad hoc declinandum, NO-
VAS VIAS AVT. ELVSIÓNES QVÆRVNT, ne per
indirectum illis quid facere permittatur, quod directo ve-
titum est, cum procul dubio in fraudem Legis tale quid
committant, L. 26. ff. de Legib. Loccen. de Jure marit. lib.
1. cap. 10. §. ult. Marquard. de Jure mercat. lib. 1. c. 17. n. 53.
Nondum tamen legi, contra hos certam poenam esse con-
stitutam, inde arbitrio committenda erit ejus, qui ab hac
circumductione se lēsum esse queritur.

XXVII. BONA NAVFRAGORVM, aut illorum,
qui sua bona LEVANDÆ NAVIS GRATIA in mare
projecterant, ad littus deinde perlata, AVFERENDO, gra-
ve quoque delictum committitur, quia horum animus
nunquam fuit, ea amittendi, & aliorum occupationi re-
linquendi, §. fin. J. de R. D. L. 8. ff. ad L. Rhod. de Jact. L. 18.
ff. de Adim. & transf. Legat. ac nihil iniquius esse potest,
quam ex re calamitosa emolumentum capere, L. 1. C. de
Naufrag. lib. 11. ac afflito afflictionem adaugere, L. 14. ff.
de Offic. Praesid. Quare tale quid committentes, non fo-
lum poenæ vis privata subjiciuntur, sed & extra ordinem
severissime plecti jubentur, L. 1. §. 1. & ult. ff. ad L. Jul. de
viro. Cui sententia non contrariatur, L. 43. §. ult. ff. de
Furt. ubi Ulpianus inquit: plerumque credendum, de-
relinquendi animo merces jactas esse, cum jactans lēiat
peri.

perituras, hinc furti nonteneri tollentem eas. Nam illa
restrigenda ad res ejusmodi projectas, quas projiciens,
novit statim perituras, cuiusmodi sunt libri, saccharum
& res similes, quæ humorem aquæ diu ferre non queunt.
Non exinde res jactæ pro derelictis haberi possunt, quod
voluntas ex duobus malis minimum eligat. Cum enim
illud externum principium accedit, nempe præsentissi-
mum naufragii periculum, non potest eatenus res dereli-
cta haberi, ut fiat capientis, sed qui ex aquis eas extrahit,
manet obligatus, ut Domino restituat. Wissenb. ad ff.
Part. Prior. Disp. 28. tb. 9. Philippi in Uſu Pr. Instit. lib. 2.
Eclog. 21. n. 9. 10.

XXVIII. An vero meliore jure Magistratus bona
naufragorum sibi vindicare & suo fisco reservare possit,
quæstio est, quæ hic quoque ventilanda? Jure civili cer-
tum id fieri non posse, sed cuique integrum manere, ex
naufragio suum colligere, eadem prohibente ratione, ne
scilicet Princeps ex aliena calamitate tam lucretiosum con-
sequatur compendium, L. i. C. de Naufr. L. ult. ff. de Intend.
ruin. naufr. Verum passim regnant contraria consuetu-
dines, ut in Gallia, Hispania, Italia, Anglia & aliis in locis,
ubi inter Regalia bona naufragorum referuntur, Bodin. 7.
de Republ. 10. Lucas de Penna in L. i. C. de Naufrag. Bru-
ning. de var. Universit. specieb. Concl. 53. Franc. Marc. Dec.
424. n. 3. Selden. de Mari clauso, lib. 1. cap. 24. Vix tamen
est, ut ejusmodi consuetudines ab iniuitate vindicari pos-
sint, cum tendant in apertam miserorum injuriam. Unde
jam Fridericus Imp. in Artb. Navigia C. de Furt. constituit,
ut tam ipsa navigia, quam navigantium bona nautis, nau-
clericis & mercium Dominis, ad quos ante naufragium spe-
ctabant, integra omnia reserventur, neque Domino flu-
minis

minis addicentur, vel in commissum cadant, sublata omnium locorum consuetudine, qua huic sanctioni adversa esset, & ut transgressores ejus bonorum suorum publicatione multarentur. Idem post Fridericum constituit Carolus V. Imp. in art. 218. *Conf. Crim.* & talem consuetudinem penitus improbavit. Jure Canonico autem ipso facto excommunicati sunt, qui ex naufragio emolumen-
tum capiunt, c.3. *X. de Raptor.* Et dicta consuetudinis iniquitatem agnoscunt etiam hodie Dania, Schlesvicum, Holstia, Polonia, testantibus Stypmanno *Contin. de Jure nautar. P. 5. c.5. n.5. Libskio Cent. 2. Obs. 44. n.6. Zalaszowski Tom. 2. Juris Regni Polon. Lib. 2. i. 9. p. 53.* Sane temper-
amentum, quod hac in re adhibent Belgæ, ex Edicto Phi-
lli R. Hispaniæ & Ordinum Hollandiæ, ut demum tunc
sint bona naufragorum Fisci, quando intra certum tem-
pus, quod illis est annus & sex septimanæ, Domini eorum
ea non repetierint, æquius est, & eatenus defendendum,
quod ex specie præscriptionis, qua in poenam negligentiū introducta, bonis suis priventur. Facile tamen ad-
huc audiuntur Domini, parte modica oblata, si recupe-
rare desiderent naufragio, jactuve facta amissa. Quæ
recuperatio etiam sine solenni judiciorum ordine institui
potest. Joh. Voet *Comm. ff. tit. de Incend. ruin. naufr. §. 3.*
Wissenb. *ad ff. Part. post. Disp. 30. tb. 9.*

XXIX. Hucusque varia delicta maritima cum suis poenis consideravimus. Poena vero delinquentem affi-
cere potestatem & Jurisdictionem prærequisitum, vi cuius
demum manus injici potest in puniendum. Non alias
vero hanc Jurisdictionem habet, quam superior. Hunc
enim, civitatibus constitutis, homines, qui in statu natu-
rali vivebant, sibi constituerunt, & in cum omne impe-
rium

rium transfulerunt, ut virtute ejus ob malum commissum delinquentes puniat, & cateris securitatem in civitate procuret. Qui ergo summum in civitate adeptus imperium, primum Legibus civitati prospicit, ne ulli in ea viventi injuria fiat. Si his legibus ab aliquo debitum obsequium non exhibitum, idem superior rationes exigere potest, cur suis Legibus non obtemperaverit, & eum, ut temerarium earum violatorem deprehensum, promeritæ pœnæ subjicere.

XXX. Enimvero an superior quoque sibi in mare imperium vindicare queat, olim & recentioribus temporibus semper res visa fuit difficillima dijudicationis. Vide ri possunt hac de re scripta, sibi invicem opposita, doctissimorum Virorum Hugonis Grotii *de Mari Libero*, & Joh. Seldeni *de Mari clauso*, quorum uterque suos assentatores nactus. In specie Seldenum à cederatis Ordinibus refellere jussus est Theodorus Graswinckelius, sed ejus librum: *Vindictio maris Liberi* Ordinibus non placuit publicari, ex Viri prudentissimi Francisci Arsenii Dn. de Sommelsdyk sententia, statuentis: *rem illam non esse calami, sed gladii, si Belgæ non possent tueri mare classibus & armis, frustra idem libro & stylo esse tentaturos; ubi arma sufficerent, Libros esse impertos & super vacuos.* Huber. *Hist. Civ. P. 3. lib. 1. Sect. 6. cap. i. §. 3.* Sitamen inspectis argumentis, qua in utramque partem de maris occupatione, & inde asserto imperio prolatâ, liceat judicare, quid veritati maxime consonum, uti ab omnium seculorum memoria sibi Gentes in mare asseruerunt imperium, prout constat de Romanis Polyb. lib. 3. hist. 37. Atheniensibus Nepos in *Aristid. 2.* Britannis Cambden *Hist. Elizab. p. 2. & 19.* Venetis, qui in hodierum diem, ut in mare Adriaticum dominium se sibi afferere

rere contestentur, quotannis festo Ascensionis Domini per Ducem suum, navi Bucentauro vectum, comitante Senatu, annulum in mare projiciunt, illudque sibi quasi matrimonio hac ratione despondent. Conring. *de Domin. mar. lib. 27. seq.* Svecis Loccen. *Hist. Svec. lib. 6. p. 329.* Germanis, ab exemplo Ferdinandi II. Imp. qui Wallensteinium, Fridlandiae Ducem, Admirarium maris Baltici constituerat, incrèpantibus tamen id graviter Svecis Loccen d. l. lib. 8. p. 559. & 564. vid. Morisot. *in Hist. Orb. marit. lib. 2. cap. 19. seqq.* ita id ipsum etiam ratione evinci potest. Certum enim à DEO omnia hominum occupatio- ni concessa esse, quæ ad vitam eorum sustinendam & com- mode transigendam opus videbantur. Postquam vero integræ terrarum tractus à populis occupari cœperint, ab illis etiam ad adjacentia maria manus extensæ, eaque do- minio occupantis subjecta, quæ nulla ratione videri poter- rant à Creatore ab hujusmodi occupatione exclusa. Hoc modo maria in potestatem aliorum venierunt, qui de- inde in alios suum mare ingredientes, & que aceos, qui territorium suum ingressi, suam Jurisdictionem exten- derunt, eamque ope classium & armis ex portu contra vim tutari cœperunt. Strauch. *de Imp. maris cap. 2.* Schutzfl. *in Oper. Hist. pol. Tr. maris servitus 75. §. 14. seqq.* Add. Exerc. nostr. Sabbath. 13. *de Maris occup. Part. post §. 5. seqq.* Stante vero hac occupatione, maxime consentaneum erit ratio- ni: à Jurisdictione in mare, quod vicinum terrestri domi- nio, competente, etiam ob delicta in mari commissa, posse in eorum reos poenas à Domino maris decerni.

XXXI. Quæ dictis in contrarium opponuntur argu- menta, potiora sunt I. quod mare ob magnitudinem suam omnium usui sufficiat, & inexhaustum sit, hinc sine inju- ria

ria aliorum occupari non possit. Sed terra quoque vasta
amplitudinis est, & tamen divisa & occupata est. Præte-
rea distingvendum inter maris usum & ejus substantiam
ac proprietatem. Quoad illum inoccupabile est, & Ju-
re Gentium ad omnes homines pertinet, *L. 3. §. 1. ff.* Ne-
quid in loco publ. §. 5. *J. de Rer. Div.* hæc nullius est, & ex na-
tura rerum nullius occupationi exposita, adeoque in oc-
cupantem transiens, cuius & propria sit, *d. §. 5. §. 12. J. eod.*
Morisotus d. hb. 2. cap. 19. p. 464. Il. quod mare, ut liqui-
dum, terminis distingvi non possit, hinc perperam ejus
occupationem aliquem sibi tribuere. Etenim hoc de ter-
renis & ad sensum politis limitibus verum quidem est. In-
terim tamen fines ad rationem quoque poni possunt, &
certa distantia definiri, ad quam usque alius nihil sibi asse-
rere valeat. Tales autem termini sunt scopuli, brevia,
insulae hinc inde sparsa &c. Necesse non est, ut murus
ducatur ad terminandos occupati maris fines. Telsmar
ad Grot. de jure belli & pac. L. 2. c. 2. §. 3. Hoppe *ad §. 1. J. de R. D.*

XXXII. Multum vero discrepant Ddes inter se,
quousque tandem, concessa maris occupatione, imperi-
um in illud extendendum sit, dum alii existimant, id eos-
que fieri posse, quousque vox clamantis exaudiri, alii
quousque teluni ab arcu mitti possit, alii ad sexaginta, alii
ad centum usque millaria id definiunt Ziegler *ad Grot. L.*
2. c. 3. §. 10. At postquam hodie res navalis ad illud fasti-
gium perducta, ut pro defensione maris per longum ejus
spatium armatae naves haberi queant, non sine ratione sta-
tui posse videtur, quod maris imperium se eousque etiam
extendat, quousque munimenti & portuum haberi possit
ratio, commodaque in terram ex navibus exscensio fieri.

Nam eatenus maris non minus ac terra occupate posses-
sio retineri ac defendi potest, hinc in illo cum pari effectu
Jurisdictio ac in terra exerceri, & in transgressores anim-
adverte. Quod exemplo Venetorum, Genuenfium ali-
orunq[ue] portuum habentium comprobatur, quibus su-
pra centum millaria prudentum calculo ip[s]is imperium
in mare tribuitur. Alberic. Gentil. *Advocat. Hispan. lib. 1.*
cap. 8.

XXXIII. Ut vero ordine procedatur ab eo, qui in
delinquentes vi sua Jurisdictionis penas vult exequi, de-
bet id fieri præcedente inquisitione, instituta vel ab ipso
maris Superiori, vel ab eo, cui suit Jurisdictio a Superiori
delegata. Semper enim fuerunt Magistratus, qui à
Superiore Classibus præfecti. Apud Græcos duo legun-
tur instituti, alter qui classis omittendæ, alter qui subdu-
cendæ curam habebat. Morisotus in *Hist. Orb. Marit. L. 1.*
c. 24. p. 151. Admirali deinde constituti, qui Jurisdictionem
exercebant, quales primum vidit Gallia regnante Lu-
dovico VII. Quod exemplum secuti Angli, Hispani, a-
liique populi, qui suis classibus datos supremos Præfectos
titulo Admiralii, cum potestate classi imperandi, pugnam
capeſſendi aut detrectandi, & in transgressores milites a-
nimadvertendi, honorarunt, de quorum origine, juri-
bus, Jurisdictione & privilegiis copiosius vide *Morisotum*
d. Tr. L. 2. cap. 7. & cap. 9. Nomen hoc Admiralii perso-
næ erat concessum, postea ad integra Collegia extensum,
qua Admiralitatis dicta. Postquam enim tractandis mar-
itimis negotiis in quibusdam locis certa Collegia ordinare-
ntur, illis etiam Forum & Tribunalia fuerunt concessa,
ut in illis controversiæ, ex negotiis maritimis subortæ, se-
cundum jura navalia ventilarentur & deciderentur. Ta-
le

le Judicium Admiralitatis agnoscit Svecia Loccen. *de jure marit.* L. 2. c. 2. §. 4. Dania Marquard, *Document. Commercial. sub lit. W.* p. 653. seqq. Hamburgum. Quanquam vero cause criminale huic judicio regulariter non committi, sed ad ordinarium criminale judicium remitti soleant, *Statut. Hamburg.* P. 1. tit. 12. art. 1. adversus piratas tamen, cum primario illud contra eos exerceri debeat, ut navigatio secura reddatur, competens forum est. Werlhoff. *Disp. de Judic. Admiralitatis Hamburgensis.*

XXXIV. Si non in nave bellica, sed oneraria delictum commissum, competens iudex ad id puniendum erit Dominus maris, in quo delictum perpetratum est, tam si navis illa suorum subditorum sit, quam si extranei, in quem alioquin Domino maris Jurisdictio nulla competit, *L. 1. C. Ubi de Crimin. c. 20. X. de Foro compet.* illaque in portum ejus deducenda, Rhet. *de jure Port.* c. 2. n. 23. seq. Cum enim per delictum Respabl. ejus maxime offendatur, par est, ut ibi quoque statuatur exemplum, ubi id administrum est, cum pati non debeat auctoris Dominus, ut delictis extraneorum turbetur pacata sua Respabl. quam turbari non patitur per delicta suorum subditorum. Proinde hoc forum delicti adeo fundatum est, ut ceteris principalius habeatur, aliaque fora, ut domicilii, præcedat. Thomas Carlevalius Jctus Hispanus *de Judic. Tom. Prior. Tit. 1. Disp. 2. qu. 7. n. 482.*

XXXV. Est porro ad delictum maritimum puniendum ex usu fori Iudex competens Iudex Domicilli delinquentis, sive loci habitationis, in quo delinquens alias suum domicilium habet, ac forte in nave delictum commissum, dum illa in reditu ad locum domicilii navigabat, *quia domicilium forum generale præbet, quod cum aliis foris*

foris specialibus concurrit Brunnem. ad L. i. n. 21. & L. 2.
 C. Ubi de Crimin. Carleval. d. l. qu. 7. n. 735. seqq. vid. Disp.
 de Foris concurrent. delinqua. c. 2. §. 5. Si in aditu extranei
 loci navis in æquore versetur, & delictum ibi committat-
 tur, ubi quis illius maris dominium habebat, navis vero
 istud præternaviget, ac veniat in illum locum, ad quem
 iter suum destinaverat, sitque ille alias, non ejus Princi-
 pis, in cuius mari delictum perpetratum erat, etiam à Do-
 mino illius loci delinquens maritimus ibi deprehensus
 puniri potest, quia interest generis humani, ne impunis
 delinquens evadat, sed condigna pœna à quoconque Su-
 periore afficiatur, L. i. C. Ubi de Crim. ag. Carpz. in Proc.
 Crim. qu. 110. n. 72. seqq. Faber ad Cod. lib. 3. tit. 14. def. 1. n. 3.
 Sande Decif. Frisic. lib. 1. tit. 1. def. 6. Dicta tamen de pu-
 blico crimine intelligenda sunt. Ob delictum enim pri-
 vatum tantum Jurisdictionem in delinquentem habet ju-
 dex loci, ubi delictum consummatum est, nec aliter actio
 contra eum locum habet, quam si deprehensus ibi fuerit.
 Carpz. lib. 2. Resp. 26. n. 21.

XXXVI. Quoniam vero criminis accusatus suam
 quoque defensionem habere potest, qua admissa à pœna
 criminis vel omni, vel ordinaria tamen eximitur, ut si de
 cœde commissa convictus alleget, quod pro vita sua de-
 fensione occiderit, §. 3. J. L. 4. pr. ff. ad L. Aquil. L. 3. ff. de
 J. & J. L. 14. §. 6. de Bon. libert. art. 141. Conf. Crim. de fur-
 to reus factus famis necessitatem alleget, Grot. de J. B. &
 P. L. 2. c. 2. §. 7. & 8. Stryk de Foro conse. c. 6. n. 13. seqq. Si
 adulterii postulatus dicat, se ex errore pro sua uxore aliam
 cognovisse, Carpz. Prax. Crim. qu. 61. n. 42. seq. necesse e-
 rit, ut judex non nisi indulta defensione contra inquisitum
 procedat. Omnes enim delicti circumstantiae accurate
 ex-

expendendæ sunt, & ploranda tam quæ ad condemnationem, quam quæ ad absolutionem inquisiti faciunt. Non enim de glande legenda, vellana caprina hic agitur, sed de bonis, fama & sangvine hominis perdendis. Si omnia prudenter & legitime à judice peracta, ac appareat, delinquentem à legibus determinatam penam increvi, tum demum eam dabit executioni, ut à malis hominibus provinciam purget, L. 13. pr. ff. de Offic. Presid. & pro innocentia securitate exemplum statuat. Conf. Brunn. de Processu Inquisit. Ludovici in der Eiyl. zum Peinl. Procesß.

XXXVII. Non obstathis, quibus pœnali severitate persequendi delicta maritina jus Superioribus maris vindicavimus, quod Grotius de Jure B. & P. L. 2. c. 20. §. n. 15. statuit in mari, ubi judicia nulla sunt, ex naturali libertate jus vindicandi delicta unicuique competere, qui hoc, quod dixit, deinde his verbis illustrat: *Quo forte referri potest, quod Cajus Cesar privatus adhuc piratas, à quibus captus fuerat, classe tumultuaria persecutus est, ipsorumque naves fugavit, partim mersit, & cum Proconsul negligeret animaduertere in captos piratas, ipse eos in mare reversus cruci sufficit.* Observandum enim: Grotium exerroneo principio: omnem delinquentem, ex suo facinore, alio quo vis, cui nihil tale objici potest, fieri inferiorem, utei subiiciatur, talia statuere. Ita tamen vel exinde refutari possunt, quod, uti virtus & innocentia causa esse nequit, ut quis jus sibi super alium vindicet; ita quoque delictum causa esse nequeat, ut delinquens infra alios ponatur, & tertio pari, à crimine tamen impari, jus det, ipsum ob delictum suum puniendi. Omnino jus Superioris involaret, qui, cum ab eo vindictam petere & compensatiō nem damnorum exigere posset, se, illo spreto, propria

pria auctoritate vindicaret. L. 176. ff. de R. J. Sane si
in mari, quod nondum occupatum, & ubi nulla sunt
judicia, delictum esset commissum, me vindicare li-
ceret, non quidem per modum poenæ, sed tamen jure
belli adversus insultantem. Tunc enim status natura-
lis reviviseret, in quo omnes sibi sunt aequales, & cui-
libet facultas competit, propria auctoritate intentata ma-
la declinandi vel ea reparandi. Reete hinc Pufendorf.
de Jure Nat. & Gent. L. 8. c. 3. §. 7. Non sequitur, hic
homo delictum admisit, ergo mibi competit potestas penam
de ipso sumendi. Si enim delictum sit commissum contra me
in libereate naturali degente, reparationem damni & cau-
tionem per modum belli exigere licet. Ilbi in alium, cujus
defensio mibi peculiariter commissa non est, peccatum fuit,
illis ultiōnem non magis extra causam fiederis mibi arroga-
re possum, quam jus dicere illis, qui mibi non
sunt subjecti. Atque hic Ter-
minus esto.

SOLI DEO GLORIA.



NOBI-

* (o) *

NOBILISSIMO ET POLITISSIMO DOMINO
JOH. VINCENTIO KLEIST,
VARMIENSI,

C V M

D E

DELICTIS MARITIMIS

SOLENNITER DISPVTARET,
POTIVA ACCLAMATIONE APPLAUDIT

DISPV TATIONIS HVJVS

P R A E S E S.

T riennium fere est, quod Albo Athenæi nostri nomen Tuum inscriptum, Tuque inter cives ejus, & eos, qui Jurisprudentiæ cultores sunt, relatus fueris. Ab isto tempore palmaria cura Tibi fuit, ut, ad quæ ingenii Tui bonitate ducebaris, indies majora studiorum incrementa Tibi comparares. Hinc assiduum Lectionum tam publicarum, quam privatarum Auditorem Te semper exhibuisti, nec nudum tantum & attentio ne carentem, sed talem, qui audita apud se recollect, & memoriæ suæ imprimeret. Ex meis Scholis, quas in Jus Naturæ, Canonicum, Institutiones

E 2

Juris

* (0) *

Juris civilis ac Pandectas, nec non in Novam hi-
storiā trium recentissimorum seculorum fre-
quentasti, quantum profeceris, specimina tua,
quæ non una vice in Auditorio, tum responden-
do, tum opponendo, cum laude edidisti, testan-
tur. Fiducia, quam nunc de studiis tuis foves, Te
animat, ut præsentibus, in corona Virorum Ma-
gnorum & Eruditorum, ac absentibus oblata qua-
dam Dissertatione Juridica, ad præscriptum Justi-
niani Imperatoris, eruditum Te ostentes. Quod
institutum ut apud potentes Patronos Te com-
mendare potest; ita, ut feliciter & ex voto tuo ce-
dat, ego animitus precor. Tu memor eris, et
iam apud Nos Tibi non desuisse amicos, qui con-
serre aliquid ad promovendam tuam felicitatem
non alieni à Te fuerunt, ex officio, quod humani-
tatis & ad parem affectum obligatorium est. Deus
assistentia sua obsecundet tua conamina, & in Rei-
publicæ singulare incrementum Te diu
conservet. Vale. Dab. è Musæo d. 25.

Aug. M.DCC.XXIV.

INDEX

* (o) *

INDEX RERVM PRAECIPVARVM.

- §. I. Per navigationes provinciis & integris nationibus magna
incentia acceſſerunt. pag. 3.
- §. II. Maris péricula dēſcribuntur. pag. 4.
- §. III. Aliam male, qua à malis hominibus nāviantib⁹ in mari
inferuntur, pag. 5. Dēſiniuntur delicta maritima. ibid.
- §. IV. Eorum dīvīſio. Methodus dicendorum. pag. 6.
- §. V. Ex communib⁹ delictis est furium maritimum. ibid.
- §. VI. Ut t⁹, quod tempore naufragii aut expugnatā nāvis com-
mittitur. pag. 8.
- §. VII. Rapina in nāve commissa proponit⁹. ibid.
- §. VIII. Injuria verbalis & realis tractat. p. 9.
- §. IX. Quando ob realem injuriā ex L. Aquilia agit⁹. p. 10.
- §. X. Conſpiratio & ſeditio contra Navarchum conſideratur, ib.
- §. XI. De homicidio in nāve dolo commiſſo; Item: De homi-
cidio culpoſo & neceſſario agit⁹. p. 11.
- §. XII. Paenam Stupri & Adulterii continens. pag. 12.
- §. XIII. Militum nāval, ignaviam & paenam hujus exhibens. p. 13.
- §. XIV. Deditio bellicarum nāvium ſine neceſſitate. Navar-
chus ex mandato Superioris, ut nāvem pulvere pyrio incen-
dat, & ſe interimat, non obligatur. pag. 14. & 15.
- §. XV. Transfugarum delictum & paena. Item, Conantium
transfugere, paena. pag. 15.
- §. XVI. Pirata, qui? It. Diversi ab excuſoribus maritumis
dēſcribuntur. pag. 16.
- §. XVII. Olim piratica non erat vitiosa ut bodie. Famiglorum
piratarum exempla adducuntur. pag. 16. & 17.
- §. XVIII. Paena Piratarum ostenditur. pag. 18.
- §. XIX. Nāviantium crīmes falsi ejusque paena. p. 19.
- §. XX. Si per falſa ſigna illi in non-ſecurum portum deducti.
Parimodo, si nāves per falſum Pbarum ſedūntr. p. 19. & 20.
- §. XXI.

* (o) *

- §. XXI. Delinquit, qui merces contrabandas hosti advebit. p. 20.
 Quid, si inter illas merces licite? vel merces amici in nave
 hostili reperiuntur? pag. 21.
- §. XXII. Pœna fraudantis vectigal maritimum. ibid.
- §. XXIII. Ob omis. demissionem veli majoris confiscatur navis.
 Si per ignor. antiam id fiat, pœna pecuniaria solvenda. p. 22, 23.
- §. XXIV. Colliso navium dolosa vel cuposa punitur, non ca-
 sualis. pag. 23.
- §. XXV. Succini collectio in littoribus maris prohibita, sub poe-
 na etiam capitis. pag. 24.
- §. XXVI. Jus Stapula declinantes, delinquunt sub arbitria
 pœna. pag. 26.
- §. XXVII. Auferre bona naufragorum, & que levande navis
 gratia ejecta, crimen infert. ibid.
- §. XXVIII. Nec ab eo Fiscus immunis est. Contraria consue-
 do damnatur. pag. 27.
- §. XXIX. Pœnas recensitas superior statuit. p. 28.
- §. XXX. Qualis hic est, qui dominium maris occupavit? Con-
 troversia de maris occupatione. Affirmativa sententia ad-
 struitur. pag. 29.
- §. XXXI. Resolvuntur precipua argumenta contraria. pag. 30.
- §. XXXII. Quousque occupatum mare intelligatur? pag. 31.
- §. XXXIII. Militaria delicta cognitioni Admirali subjœcta, vel
 Collegio Admiralitatis. pag. 32.
- §. XXXIV. Alia delicta Domino portus illius navis, ubi deli-
 ctum commissum, punit. pag. 33.
- §. XXXV. Vel Jūdex domicili. p. 33. Vel ubi delinquens de-
 prebenditur. p. 34. Quis puniat delictum privatum? ibid.
- §. XXXVI. Nemo puniendus, nisi data defensione. p. 34.
- §. XXXVII. Vindicatur jus superioris pœnas dictandi contra
 Grot. p. 35. An in statu naturali jure belli se licet vindicare? 36.

F I N I S.

ULB Halle
002 178 486

3



56





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



Cr. 16. num. 18.

11

Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA

D E

DELICTIS MARITIMIS,

GERMANICE:

Von Beschaffenheit der Schiff-Sahrt,
denen Verbrechen und Straffen auf der See,
und andern auf selbiger vorkommenden be-
sondern Fällen.

Q V A M
P R A E S I D E

VIRO NOBILISSIMO CONSULTISSIMO EXCELLENTISSIMO

D O M I N O
SAMUELE FRIDERICO
Hellerberg,

I. V. D. EIVSD. AC HISTOR. PROF. PVBL.
ET ATHENAEI INSPECTORE,

FAVTORE AC PROMOTORE STVDIORVM SVORVM
OMNI, QUA PAR EST, REVERENTIA COLENDO,

IN AUDITORIO ATHENAEI MAXIMO

A. O. R. MDCCXXIV. D. VII, SEPTEMBRIS,
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SUBMITTET

IOH. VINCENT. KLEIST,
VARM. VALEDICTVRVS.

I E N A E,

REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1736.

